ſi fidejuſſor exiſtat pro reo alicujus criminis, de judicio ſiſtendo, vel judicato ſolvendo, ratione debiti ex hujuſmodi fidejuſſione reſultantis, (de quo *infrà, cap. 13. num. 23.*) & alia plurima, eum omnino videas per omnes gloſſas; *& ibi numer.* 54. declarat, quando debitum dicatur deſcendere ex delicto, & Bolanum *in Curia Philippica, 2. parte, § priſon, ex num.* 7. Eſcobar *de ratiociniis cap.* 35. latè Caſtillo *in politica, lib.* 3. *cap.* 6. *&* 15. Gomez. Bayo *in ſuis quæſtionibus, libro 2. quæſtione* 125. ubi an Nobilis poſſit excommunicari pro debito? & an pro debito poſiti, vulgo, *Del poſito*? Bobadilla *in politica, lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 50. Eſcobar *de ratiociniis, cap.* 35. & Narbona *in dicta gloſſa* 1. *num.* 69. & vide noviſſimè Salgadum *in labyrintho creditorum,* 1. *parte, cap.* 13. §. 1. *ex n.* 24. ubi de Nobili adminiſtratore bonorum Civitatis, vel bonorum concurſus, & de Nobili qui promiſit dare fidejuſſorem, & non dat; his enim caſibus incarceratur, *vide ibi, & cap.* 41. *per totum.*

Ibi: *Quod tamen notabiliter intelligo, &c.*

Nobilis ſe talem negans, quod poſſit incarcerari, ut hîc reſolvitur, docent Guttierrez *de juram confirm* 1. *parte, cap.* 16 *n.* 25. *& l.* 4. *practicarum, quæſt.* 14. *num.* 9. & noſter Gomezius *in l.* 79. *Tauri, num.* 4. Azevedus *in dicta l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recopil. ex num.* 29. ubi tres limitationes adducit, Joannes Gratianus *in regul.* 311. *n.* 2. Ignacius del Villar *reſponſo* 6 *num.* 13. *l.* 1. Narbona *in dicta l.* 14. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recopil. gloſſa* 1. *num.* 71. *ubi num.* 73. cum noſtro Gomezio *in l.* 79. *Tauri, num.* 4 Baeza *de inope debitore, cap.* 16. *num.* 96. & Azevedo *ſuprà, num.* 29. & aliis docet quod ſi Nobilis citra fraudem, nulla decipiendi intentione, ſed errore ductus, & falſa ſui æſtimatione deceptus, ſe Nobilem eſſe negavit, conſtito poſtmodum de nobilitate, eaque probata ſufficienter, non debet ſuo privilegio privari, ne incarceretur.

Item quod Notabilitatis privilegia amittantur ex exercitio officii vilis, ſi nobilitas ſit ex privilegio, ſecus ſi ſanguinis, reſolvit Communis, ut conſtat ex Garcia *in tractatu de Nobilitate, gloſ.* 1. §. 1. *num.* 58. Guittierrez *lib.* 1. *quæſt.* 137. *numer.* 18. *&* 96. & Narbona *in l.* 14. *tit. lib.* 6. *Recopil. gloſſa* 1. *ex num.* 90. ubi plurimos refert, & latè diſputat: verius tamen eſſe aſſerit D. Franciſcus de Amaya *in l. unica C. de infamibus, l.* 10. *num.* 84. quod per exercitium officii vilis ſolum amittitur illud privilegium, quod à Principe ſolet concedi ut ſint exempti à tributis, & oneribus qui vulgariter vocantur, *Cavalleros pardos*, quibus nulla nobilitas conceditur, ſed ſolum dicta exemptio; & ſic idem Author *in l* 2. *C. ſi ſervus aut libertus ad decurionatum, &c eodem l.* 10. *ex n.* 64. latè probat † Nobilem ex privilegio admittendum eſſe tanquam vere nobilem ad omnes illas res, quæ nobilitatem deſiderant, & ſic ad honores Ordinum militarium, & ad Confraternitates nobilitatem requirentes & alia, dummodo verba privilegii illud patiantur, ut ſi dicat Princeps verbis expreſſis, quod facit eum Nobilem, & ſuos deſcendentes, ut tales reputentur, & ſint, juxta forum, & conſuetudinem Hiſpaniæ, & ut poſſint gaudere omnibus exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, & libertatibus, quibus gaudent Nobiles: eum vide & Barboſam *de nominibus appellativis, verbo, Nobilis, num.* 4.

56 Ad numer. 55. ibi, *Et breviter de jure communi, &c.*

Et ibi tamen hodie de jure Regio, *&c.*

Debitorem in cauſis civilibus hodie non gaudere Eccleſiæ immunitate licet aliud fuerit de jure communi, reſolvit Gomezius *in præſenti*, & idem tenent plures relati à Bobadilla *in politica, lib.* 2. *cap.* 14. *ex numer.* 62. ubi id benè comproba, licet ipſe *num.* 67. dicat numquam vidiſſe practicari dictam reſolutionem præterquam in debitoribus, qui bona ſua occultant, & ſecum deferunt, & ſic pro contraria parte refert Azevedum *in lib.* 13. *tit.* 2. *lib.* 1. *Recopil.* & Guttierrez *in l.* 1. *quæſt.* 1. qui cum aliis tenent debitorem immunitate gaudere, Suarez de Paz *in praxi,* 5. *parte, tomo* 1. *cap.* 3. §. 3. *ex num.* 150. Farinacius *in tract. de immunitate Eccleſiarum, cap.* 3. *ex numer.* 57. Barboſa *in collect. cap. inter alia, de immunitate Eccleſiarum, num.* 39. *ubi num.* 40. *&* 41. agit de exactore tributorum, & de debitoribus fallitis ſeu decoctis, Diana *reſolution. Moral.* 1. *parte, reſolut.* 32. ubi etiam de decoctoribus.

Ad numer. 56. ibi: *Et breviter, & reſolutivè dico, &c.* 56

Cadaver debitoris non poſſe detineri per creditores ob debita, ut reſolvit Gomezius, docent Covarruvias *lib.* 2. *variarum cap.* 1. *num.* 10. *& in cap. Raynaldus, de teſtamentis*, §. 3. Duenas *in regula* 307. & plures referens Didacus Perez *in l.* 4. *titul.* 8. *lib.* 3 *ordinamenti*, Baëza *de inope debitore, cap.* 1. *num.* 29. Menochius *de arbitrar. caſu* 487. *numer.* 16. *&* 20. Joſephus Ludovicus *deciſ. Peruſina* 78. *num.* 24. Garcia *de expenſis, cap.* 8. *num.* 19. Guttierrez *de juramento confirm.* 2. *parte, cap.* 4. *num.* 17. Spino *in ſpeculo teſtam. gloſſa* 2. *principali, ex num.* 11. & alios referens Cenedus *in collectan. ad Decretales, collectan.* 40. *num.* 3. & poſt eos Pichardus *in principio inſtit. de interdictis, ex num.* 130. *ubi num.* 138. probat interdictam eſſe omnem appellationem quæ cadaveris ſepulturam impedire poteſt: vide etiam Valdeſium ad Suarez *in l. poſt rem judicatam, extenſione* 5. & Salgadum optimè *in tract. de protectione Regia*, 2. *p. cap.* 8. *ex num.* 72. *ubi num.* 75. limitat cum Zerola *in praxi Epiſc.* 1. *p. verb. Funus, verſ.* 3. *Cadaver, &c.* in cadavere uſurarii, quod à Judice Eccleſiaſtico ſequeſtrari poteſt, ne ſepeliatur, donec hæres caveat de reſtitutione.

Ad numer. 57. ibi: *In quo articulo reſolutivè dico, &c.*

Debitor in diem, vel ſub conditione, ſi poſt contractum efficiatur ſuſpectus, quod teneatur idoneam pignoris, vel fidejuſſorum cautionem præſtare, aliàs detrudatur in carcerem, ut hîc reſolvitur, docent Gregor. per Text. *ibi in l.* 17. *tit.* 13 *p.* 5. Padilla *in l. cum proponas, n.* 8. *Cod. de tranſactionibus*: Menochius *de recuper. poſſ. remedio* 5. *n.* 25. Guttierrez *in l. nemo poteſt, n.* 181. *ff. de legatis* 1. Morla *in emporio, tit.* 8. *quæſt.* 15. *num.* 4. ubi etiam ait, quod ſi ad debitoris bona concurſus creditorum fiat poterit talis creditor ante diem agere; & ſi antiquior ſit, habebit prælationem (de quo latè, & optimè Salgado *in labyrintho creditorum.* 1. *part. cap.* 7. *ex num.* 24. *ubi n.* 26. docet, quod creditor in diem, vel ſub conditione citari debet ad concurſum, ſua enim intereſt, ita quòd ſi creditori poſteriori fiat ſolutio, debeat tamen fidejuſſorem præſtare de reſtituendo creditori conditionali anteriori, conditione completa, & ad hunc finem; ut ſcilicet graduetur, & in ſententia deſcribatur, admitti debet:) Azevedus: & Matienzo *in l.* 3. *tit.* 16. *l.* 5. *Recop.* ubi bene explicant, qualis debeat eſſe fidejuſſio præſtanda à tali debitore ſuſpecto, Bolanus *in Curia Philippica,* 2. *p.* §. *falidos, ex num.* 23. Oſualdus ad Donell. *lib.* 14. *c.* 8. *notatis lit. A.* Valdeſius ad Suarez *in l. poſt rem judicatam, in declaratione l. Regni, limitatione* 7. Fontanella alios referens *de Pactis, nupt. clauſula* 4. *gloſſ.* 9. *part.* 5. *ex num* 30. Joſeph. Ludovicus *deciſ.* 41. *per totam*, Paz *in praxi* 3. *tomo c.* 7. §. 3. *num.* 1. Barboſa *in l.* 2. *ff. ſoluto matrimonio*, 2. *parte, ex num.* 27. latiſſimè, *& in l.* 8. §. *interdum, num.* 17. *& ſeq. & n.* 30. *in l ſi conſtante, eodem titul. num.* 20. *& ſeq.* Pichardus *in* §. *ſumma autem, Inſtit. de interdictis, num.* 167. *ubi n.* 168. dictam reſolutionem non ſolùm in bonæ fidei judiciis, procedere, ſed etiam in ſtricti juris, contra Cujacium, & alios: *& n* 169. probat, quod ſi debitor cautionem interponere recuſat, creditor conditionalis, vel in diem, in poſſeſſionem bonorum mittitur, abſque eo quod permittatur ei bona diſtrahere ante diem, vel conditionem; hoc enim prohibetur: & dictam reſolutionem etiam in legatario conditionali procedere aſſerit, imo quod etiam nulla ſubſiſtente cauſa poteſt cautionem petere ab hærede, ex Text. *in l. hæc ſtipulatio* 14. *ff. ut legatorum nomine*, Caſtill. *lib.* 4. *controv. c.* 59. *n.* 24. Joan. Grat. *in reg.* 58. *num.* 12. ubi etiam quod debitor fugitivus poteſtante diem capi, licet nondum dies ſolutionis advenerit, Cancerius *variar.* 2. *p. c.* 10. *ex num.* 15. & alios referens Salgado *ſuprà, num.* 32.

59 Item an omnes contractus ſint bonæ fidei de jure Canonico? vide Cevallos, *qu.* 800. & Sarmiento *lib.* 3. *ſelectarum, c.* 3.

CAPUT XII.

De duobus Reis.

SUMMARIA.

1. *Duo, vel pluros rei qualiter obligentur.*
2. *Qualiter duo rei debendi debeant conveniri.*
3. *Si unus ex reis debendi ſolvit in ſolidum, poſſit ſuas partes ab aliis repetere.*

1 QUoniam autem ſuprà viſum eſt de omnibus contractibus, & eorum qualitatibus & de perſonis, quæ principaliter obligantur: nunc oportet videre de duobus reis, & de fidejuſſoribus: & ſic primò, & principaliter quæro, qualiter obligentur duo, vel plures rei debendi? & quæ ſit virtus, & effectus hujus obligationis? & magiſtraliter, & reſolutivè dico, quod ſi duo, vel plures ſimpliciter obligantur, unuſquiſque tenetur tantùm pro ſua parte virili, non inſolidum: & idem eſt è contra, ſi duo, vel plures ſunt creditores, nam cuilibet competit actio pro parte, tex. eſt formalis & expreſſus *in l. reos* § *cum in tabulis, ff. de duob. reis*, & ibi notat & commendat Gloſſ. ordinaria, Rayner. Alber. Angel. Paul Imol. & communiter Doctores. Quod extende etiamſi in perſona unius contractus non valeat, quia non quæritur alteri, niſi pro parte, tex. eſt *in l. ſi mihi & Titio, infrà iſto tit.* tex. *in l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri verſ. cum qui eod. tit* textus *in l. his verbis, ff. de duobus reis*, quod eſt verum & procedit, nedum in contractu lucrativo, ſed etiam in oneroſo, ita probant jura ſuperiora, probat textus *in leg. fundus ille, ff. de contrahen. empt.* textus *in l. traditio*, §. *ff. fin ff. de acquir. rer. domin.* & idem eſt in ultimis voluntatibus, quia legatum pluribus factum dividitur inter eos, textus eſt *in l. ſi quis teſtamento, ff. de leg.* 1. & ibi communiter Doctores textus *in leg. ſi pluribus, ff. de legat.* textus *in leg. cui fundus, ff. de cond. & demonſt.* textus cum materia *in leg. re conjuncti, ff. de leg.* & idem eſt in ſententia, quia ſi plures ſimpliciter condemnantur, unuſquiſque tenetur tantùm pro parte, textus eſt *in l. Paulus, la* 2. *ff. de re judic.* textus *in l. ſi quis ſeparatim*, §. *quotiens, ff. de appel.* textus *in l.* 1. *&* 2. *Cod. ſi plures una ſententia condemnati ſunt*, & utrobique Doctores; quod tamen limita & intellige, quando duo, vel plures rei debendi promittunt rem merè dividuam, ut ſpeciem, vel pecuniam, ſecus verò ſi rem individuam, ut ſervitutem, & quid ſimile, quia tunc unuſquiſque tenetur in ſolidum, & idem e contra, ſed plures ſunt creditores, quia utrique quæritur actio, & obligatio in ſolidum, textus eſt *in l.* 2. §. *ex his, infra iſto titul.* textus *in l. ſtipulationes non dividuntur eod. titul.* textus *in leg. hæredes*, §. *an ea, ff. famil. erſciſc.* textus *in l. via, itineris, ff. de ſervit.* textus *in leg. pro parte. eod. titul.* textus *in leg. ſi unus, verſicul. fin. ff. de ſervit ruſtic. prædior* textus *in l. & per jurejurandum* §. 1. *ff. de acceptilat.* textus *in leg. fideicommiſſa*, §. *fin de legat.* 3. textus *in leg. ſi is qui quadringenta*, § *quædam, ff. ad leg. Fal.* text. *in l. fin. ff. de ſervit. leg.* textus *in l. ea quæ in partes, ff. de reg. jur.* Secundò limita præterquam ſi expreſſe inter partes actum eſt, quòd teneantur in ſolidum, vel tacitè, quia poſitum eſt diſtributivum, quia dictum fuit, quod quilibet promittebat, vel ſi apponatur verbum eædem, vel ſimile, textus eſt *in l.* 2. *ff. de duobus reis*, textus eſt *in* §. 1. *Inſtit. eod. tit.* & utrobique communiter Doctores. Item adde, quod tales duo, vel plures rei debendi poſſunt conſtitui in quolibet contractu, modò fiat & celebretur verbis, modò conſenſu, modò re, modò interventu rei, textus eſt *in leg. eandem, ff. de duobus reis*, & ibi Gloſſ. ordinaria, Bar. & communiter Doctores, textus *in leg. item quæritur*, §. *duobus reis, ff. locat.* tex. *in l. apparebit, eod. titul.* textus *in l. ſi diviſa, Cod. eod titul.* Item adde, quod tales duo, vel plures, rei debendi poſſunt conſtitui in obligatione facti, tex. eſt *in l. nemo.* 3 *de duobus reis*, & ibi communiter Doctores, item unus poteſt obligari purè alter in diem, vel conditionem, tex. eſt *in l. ex duobus, ff. de duob. reis.*

Quæro tamen, qualiter duo, vel plures rei debendi poſſint & debeant conveniri; & magiſtraliter & reſolutive dico, quod de jure antiquo poterat créditor, quem eorum velit eligere, & in ſolidam convenire, textus eſt *in l.* 3. §. 1. *ff. de duobus reis*, textus eſt *in l.* 1. *Cod. eod titul.* & utrobique Doctores, imo quod magis eſt, poterat in ſolidum convenire, dum tamen proteſtetur, quod una ſolutione erit contentus, textus eſt *in l. Paulus, la* 2. *ff quorum leg.* tex. *in l.* 1. *Cod. ſi plures una ſentent.* hodie tamen etiam ſi in ſolidum ſint obligari, non poſſunt in ſolidum conveniri, ſed pro parte, niſi alter ſit inops vel abſens tex. eſt *in auth. hoc ita, C. de duobus reis*, & idem diſponit tex. 10. *tit.* 125. *part.* 2

Adde tamen, quod huic beneficio diviſionis poteſt renunciari: argumento textus *in leg. quod favore, Cod. de legibus*, ita tenet Gloſſ. ordinaria *in authen. de duobus reis, collat.* 7. & ibi communiter Doctores, Gloſſ. *in* §. *fin. Inſtitut. eodem titul.* Bart. & communiter Doctores *in d. authen. hoc ita.* Item adde, quod eo caſu quo tenentur in ſolidum, & eſt renunciatum prædicto beneficio, poſſunt in ſolidum conveniri poteſtatione per creditorem facta, quod unica ſolutione

erit contentus , ſecundùm Doctores in dictis locis.

a Quæro , tamen ſi unus ex reis debendi totam utilitatem ſentiat , etiam ſi prædicto beneficio diviſionis ſit renunciatum , unum poſſit alter reus conventus,ſi nullam utilitatem ſenſit excitere , & petere , quod prius conveniatur reus , qui totam utilitatem ſenſit ? Et breviter , & reſolutivè dicendum eſt quod ſic , periculo & expenſis conventi , ita probat textus *in leg. unde quæritur , ff. commodati* , & ibi communiter Doctores , textus *in l. cum plures , § veſtimenta , ff. locat.* & in expreſſo ita tenet Bar. *in leg.* 3. §. 1. *ff. de duobus reis* , & ibi communiter Doctores , idem Bar. *in auth. hoc ita , Cod. eod. titul.* 10. *colum. num.* 29. Paul. *in leg ſi pro parte* §. *final. ff. ad Maced.* idem Paul. *in l. ſed Julianus*, §. *fin. ff. de in rem verſo*. Palac. Rub. ad quem te remitto, *fol.* 106. 4. *colum.*

b Item quæro,ſi unus ex reis debendi ſolvit in ſolidum , an poſſit ſuas partes repetere ab aliis ? & reſolutivè dico, quod ſi ſunt rei debendi ex cauſa oneroſa,& utilitas pervenit ad omnes æqualiter, bene poteſt repetere ab aliis ; ſi verò pervenit ad eum qui ſolvit , non poteſt aliquid repetere ; ſi verò omnes utilitatem ſenſerunt , ſolvens poteſt ab aliis repetere pro partibus ſibi tangentibus ? tex. eſt *in l.* 1. *C. de duobus reis* , textus *in l.* 3. *ff. de exercito*, textus *in l. habebat , §. fin. cum l. ſequenti , ff. de inſtit.* Si verò ſunt rei debendi ex cauſa lucrativa, tunc non poteſt aliquid ab alio petere, tex. *in l. Falcidia , hoc obſervandum , ff. ad l. Falcid.* & in expreſſo iſtam ſententiam , & reſolutionem ponit Bart. *in l. reos* , 2. *col. ff. de duob. reis* idem Bart. *in l. Modeſtinus , ff. de ſolut.* idem. Bartol. *in authen. hoc ita , C. de duob. reis* & ibi communiter Doctores : & idem eſt per contrarium , quod ſi unus ex reis credendi receperit ſolutionem totius debiti , ſi erant creditores ex cauſa oneroſa , tenetur communicare cum aliis , ſi verò ex cauſa lucrativa , non tenetur communicare , niſi ſunt ſocii , ita probat tex. *in d. l. in l. Falcid. hoc obſervandum, ff. ad leg. Falcid.* & in expreſſo ita etiam tenet Bartol. *in l. reos , ff. de duobus reis , pen. col.* 8. *quæſt.* & ibi communiter Doctores. Idem Bart. *in l. qui hominem , §. ſi duo , ff. de ſolut.* idem Bart. *in l. Modeſtinus , cod. titul.* idem Bart. *in l. frater à fratre , ff. de condit indeb.* 2. *col.* idem Bart. *in l. ſi Titio , aut Seio , ff. de leg.* 2. idem Bart. *authen. hoc ita, C. de duob. reis* , 21. *colum. n.* 34.

ANNOTATIONES.

Quæro tamen ſi unus ex reis.* Adde Hiſp. *fin. & in rub. n.* 65. *&* 371. *ff. de fidejuſſ.* Cremenſ. *ſing.* 38.
a palat. Rub. qui hic confuſè allegatur *in rep. c. per veſtras*
2 *in* 5. *not. n.* 10. *ad fin. verſ. hinc eſt etiam, extra de donat. inter virum & uxor.* Petr. Duen. 535. *fallen.* 29. *verſic. circa quam*, & eſt ſententia æquitati apprimè conſentanea.

Et ibi communiter. Doct.] Idem aſſerit receptum Paul.
b *in l. Titio , aut , poſt prin. ff. de legat. lib.* 3. que in re graviter lapſus eſt Marc. Mantuan. *in l. frater à fratre :*
3 *num* 99. *ff. de condit indeb.* ut etiam obſervati *in recept. ſentent. theſaur , in verb. duo rei , num.* 379.

EMANUEL SOAREZ à RIBEIRA J. C.

ADDITIONES.

SUMMARIUM.

1 *Doctores hanc materiam explicantes referuntur.*

2 *Duo rei qualiter obligentur.*
De ſententia qua plures condemnantur.

3 *Duo rei qualiter debeant conveniri.*
Quid fuerit mutatum in hoc per l. 1. titul. 16. lib. 5. Recop.
Quid ſi unus ex reis debendi totam utilitatem ſentiat.
De marito, & uxore in ſolidum obligatis.
De creditore qui convenit pro parte reum debendi.
Liberatio facta uni ex correis an proſit alteri.
Citatio facta uni ex correis quando noceat alteri , & quid in ſententia.

4 *Si unus ex reis debendi ſolvat inſolidum , an poſſit partes repetere à correis, & de ceſſione facienda in hoc caſu.*
In pluribus reis credendi vel ſtipulandi , an debeant reliquis communicari quod unus recepit.

5 *An reus poſſit petere à correo , ut eum libere ab obligatione.*

6 *Pactum unius ex duobus reis an noceat alteri , & quid in confeſſione ?*

7 *Appellatio unius ex correis an proſit alteri.*

8 *Lite pendente adverſus unum ex reis debendi, an liceat adverſus alium regredi ?*

9 *Tradens uni inſtrumentum debiti , videtur donare etiam Actionem contra correum.*
Fidejuſſor ubi prohibetur , an admittatur correus ? ad tit. Cod. ne fidejuſſores dotium dentur.

10 *Si creditor ſuccedat uni ex duobus reis, quomodo confundantur actiones , vide Doctores in* l. Uranius , ff. de fidejuſſoribus.

MAteriam *hujus capitis* latè explicant Tuſchus , *litera R. concluſione* 107. *& ſeqq. & litera L. concluſione* 451. *n.* 1 Laſarte *in tractatu de gabellis, cap* 9. Mantica *de Tacitis convention. lib.* 15 *per totum*, Duarenus *in paraphraſi hujus titul.* Connanus *libr.* 6. *commentariorum , c.* 5. Petrus Gregor. *in ſyntag. lib.* 24. *c* 8. Oſuald. ad Donel. *lib.* 15. *cap.* 15. *& lib.* 16. *c.* 25. Gratian. *diſcept. for. tom.* 2. *c.* 359. *& tom.* 3. *c.* 566 *tom.* 5. *c* 966. & Afflict. *deciſion.* 215. Iacobus Cancer. *lib.* 3. *variar. c.* 17. *ex n.* 292. Franchis *deciſ.* 680. *part.* 4 & plura Ubaldus *in tractatu de duobus fratribus, per totum*, Molina *de juſtitia, tom.* 2. *diſput.* 542. Scaccias *de re judicata , gloſſ.* 4 *quæſt.* 22. Pichardus *Inſt. de duobus reis, per totum tit* Eſcobar *de ratiocinis , cap.* 34. *n.* 2. Surdus *in tract. de alimentis, tit.* 6 *quæſt.* 17. *n* 16. Valaſcus *conſult.* 36. *&* 127. *&* 141. iterum Surdus *deciſ* 229. Barboſa *in l.* 2. §. *quod ſi num.* 50. *& in l. ſi cum dotem*, §. *tranſgrediamur , num.* 38. *&* 39. *& in l. ſi conſtante, num* 108. *& ſeq. ff. ſoluto matrimonio* , & alii penes ipſos , & Felicianus *in tract. de cenſib. lib.* 3. *cap.* 2. *per totum*, & Salgadus *in labyrintho creditor.* 3. *part. cap.* 1. § *unico.*

Ad num. 1. ibi : *Et magiſtraliter, & reſolutivè , dico, &c.*

Si duo vel plures ſimpliciter obligentur unuſquiſque tenetur pro ſua parte , præterquam ſi res promiſſa , fuerit individua ; vel ſi expreſsè actum fuerit ut inſolidum obligentur : vel tacitè appoſito verbo diſtributivo : ita reſolvit Gomezius *in præſenti* , & docent Mantica *de Tacitis, conventionibus lib.* 15. *titul* 3. *num.* 14. *& per totum* , ubi plures modos congerit in quibus tacitè actum videtur , ut duo rei conſtituantur , Tuſchus *lit. R. concluſ.* 107. *per totam.* Molina *de juſtitia , tomo* 2. *diſput.* 542. *n.* 1. *& ſeq.* Parladorus *libr.* 2. *quotidian. cap. fin.* 5. *parte*, §. 11. *num.* 47 Azevedus *in l.* 1 *tit.* 10. *lib.* 5. *Recop. n.* 1. *&* 4. Petrus Gregor. *in ſyntagm. lib.* 24. *cap.* 8. *n.* 4. Guzman. *de evict. quæſt. fin num.* 45. Rodriguez *in tract. de reddit. lib.* 2. *quæſt.* 5. *ex n.* 14 Pichardus *in* §. *ex hujuſmodi , Inſtit. de duobus reis, num.* 16. Carlevalius *de judiciis , lib.* 1. *diſput.* 5. *n.* 7. *&* 8. & alii relati *num præcedenti.*

Ibi : *Idem eſt in ſententia, &c.*

Si eadem ſententia plures condemnentur ſimpliciter , unuſquiſque tantum tenetur pro parte; ita Gomezius *in præſenti* , & docent communiter Interpretes, ut conſtat ex Afflict. *deciſ.* 215. Vincentio de Franchis *deciſ.* 228. Cancer. *variar. l.* 3. *cap.* 17. *num.* 292. (cum quo, & aliis docet Salgado *de protectione*, 4. *part. cap.* 2. *n.* 120. quod ſi ex ſexdecim obligatis in ſolidum , quatuor tantum ſimpliciter conventi condemnentur, pro rata condemnanti cenſentur: habito reſpectu ad ſexdecim obligatos, eum vide bene declarantem.) Scaccias *de re judicata , gloſſ.* 14. *quæſt.* 22. Caſtillo *l.* 61. *Tauri, verbo, Fiadora; & verbo, Mancomum*, Oſuald. ad Donel. *lib.* 27. *cap.* 2 *lit. N.* Gratian. *reg.* 355. alter Gratianus *diſcept. forenſ. lib.* 1. *cap* 33. *ex num.* 50. *& cap.* 115. Barboſa *in collect. ad auth. cauſa quæ, C. de Epiſcopis, & Cleric. n.* 4. Bobadilla *in Politica, lib.* 2 *c.* 20. *n.* 58. *& c.* 21. *ex num.* 251. ubi etiam agit de ſententia, in qua plures condemnantur in ſolidum , licet ipſi inſolidum non fuerint obligati, Guzman. *in tract. de eviction. quæſt. fin. num.* 42. ubi etiam probat plures condemnatos ſimpliciter, intelligi in partes viriles condemnatos , & ſi ipſi in ſolidum ſint obligati , de quo etiam Bobadill. *ſuprà d c* 20. & alii plures laudati ab eodem Guzman , & Barboſa *in collect. l.* 18. *C. de pactis*, Salgado *ſuprà , ex num.* 14. *& in labyrintho credit.* 3. *parte , cap.* 1. §. 1. *ex num.* 1. & Carlevalius *de judiciis , lib.* 1. *diſput.* 5. *num.* 42. *ubi n.* 43. quod non obſtante exceptione rei judicatæ poterit quilibet in ſolidum conveniri ex primitiva obligatione, & actione.

3 Ad num. 2 ibi : *Et magiſtraliter , & reſolutivè dico , &c.*

Et ibi : *Hodie tamen , &c.*

De jure antiquo quemlibet ex duobus reis poſſe in ſolidum conveniri , hodie vero ex Text. *in authent. hoc ita*, pro parte eſſe conveniendos præterquam ſi prædicto beneficio fuerit renuntiatum, ut hîc reſolvitur, docent relati *ſuprà ; num præcedenti , in principio* , maximè Mantica *de Tacitis convention. lib.* 15. *tit.* 5. *n.* 6. *&* 7. Tuſchus *lit. R. concluſ.* 107. Petrus Gregor. *in ſyntagm. libr.* 24. *cap.* 8. *num.* 4. Pichard. *in principio , Inſtit. de duobus reis, num.* 18. & Carleval. *de judiciis , libr.* 1. *diſp.* 5. *ex num.* 44. *ubi num.* 45. probat in cauſa criminali non eſſe locum beneficio ceſſionis, ſecus beneficio diviſionis.

Sed quid hodie dicendum ſit circa principa- reſolutionem *hujus numeri* , extante *l.* 1. *titul.* 16. *lib.* 5. *Recopil.* videndi ſunt Matienzo , & Azevedus *ibid* Guttierrez *de juram. confir.* 1. *p. c.* 21. *ex n.* 10. *& quæſt.* 96. *libr.* 3. Rodriguez *in tract. de redditibus, lib.* 2. *q.* 5. *n.* 14. Felicianus *de cenſib. lib.* 3. *c.* 2 *n.* 5. apud quos magis probatur , *dictam legem* derogare voluiſſe diſpoſitioni Text. *in d. auth. hoc ita* ; & ſic quod ſi duo rei in ſolidum obligentur, non competat eis beneficium diviſionis: eos vide, & notata *infr. c.* 13. *n.* 16. & Laſarte *de decima venditionis , cap.* 9. & Molinam *ſuprà, tom.* 2. *diſp.* 542. *num.* 6.

Ibi : *Quæro tamen , &c.*

Quod ſi unus ex reis totam utilitatem ſentiat ; poſſit alter reus ſi conveniatur, excipere , & petere quod prius conveniatur, qui utilitatem percepit, dummodo hoc fiat ſuis expenſis, ut hîc reſolvitur, docent plures relati ab Antonio Gabriel *in ſuis communibus, tit. de fidejuſſorib. concluſ.* 2. *n.* 3. & ab Scaccia *in tract. de re judicata gloſ.* 14. *q.* 22. *ex num.* 10. & Molina *de iuſtitia , ſupra, num.* 10. Queſada *diverſar q. c.* 32. *n.* 31. Bobadilla *in Politica, lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 66. Felicianus *de cenſibus , lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 11. Noguerol. *allegatione* 11. *n.* 40. & noſter Gomezius *in l.* 61. *Tauri , n.* 3. *verſ. Ex qua lege* : ubi ex diſpoſitione illius tex. docet quod ſi maritus & uxor , tanquam duo rei debendi, obligentur, non tenetur uxor in aliquo niſi pro ea parte, qua utilitas ad eam pervenit: de quo latè Azevedus, & Matienzo *in l.* 9. *tit.* 3. *li.* 5. *Recopil.* & Villadiego *in forma libellandi in via executiva, ex num.* 5. 7. 14. *&* 15. de quo etiam optimè Noguer. *allegatione* 29. *ex n.* 90 ubi quod alienatio rei dotalis, vel alius contractus reſcinditur, ſi uxor ex eo maneat indotata, *& allegation.* 34. *ex n.* 6. *&* 28. poſt Barboſam *in l.* 1 *ff. ſoluto matrimonio,* 5. *part. ex n.* 50. qui in aliquibus diſſentit à reliquis ; vide etiam Cancerium *variar.* 3. *parte, cap* 15. *n.* 102. ubi an inſpiciatur ad hoc tempus contractus, ſeu repetitionis dotis ? & hoc ultimum tenet ; *& numeris ſequentibus* , alia plura cumulat , vide etiam Gratian. *diſcept tom.* 1. *cap.* 108. *ex num.* 8. ubi etiam de indotatione uxoris, & noviſſimè D Larream *allegatione Fiſcali* 35. *ex num.* 25. ubi bene proſequitur , & explicat requiſita neceſſaria, ad hoc ut mulier reſcindat contractum ex indotatione, & præcipuè quod probetur, rem, ſuper qua contenditur , eſſe dotalem nec ſufficiat eſſe paraphernalem : & quod læſio ſeu indotatio conſideretur tempore contractus , & non executionis: in quo idem tenet Salgado *infr.* citatus, laudans eundem D. Larream , Rodriguez *in tract. de redditibus, lib.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 15. ubi laudat noſtrum Gomezium hîc : *& num.* 16. latè proſequitur materiam Text. *in d. l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 5. *Recopil.* & prædictam quæſtionem de marito & uxore in ſolidum obligatis, etiam cum juramento ipſius uxoris quem videas, & Cevall. *quæſt.* 727. *per totam*, & Salgadum *in labyrintho part.* 2. *c* 9 *n.* 21. *& c.* 4. *num.* 68. *& ſeqq.* vide etiam infrà *cap.* 13. *num.* 17.

De creditore qui convenit pro parte unum , vel plures reos debendi , vivendi ſunt Mantic. *de Tacitis conventionibus lib.* 15. *tit.* 5 *per totum*, ubi latè declarat, Connanus *commentar. lib.* 5 *c.* 4. *n.* 3. Pereira *de emptione, & vendit. c.* 53. *n.* 54. *& ſeq.* ubi limitat, & declarat , & cum eo Barboſa *in collect. l.* 18. *C. de pactis, ubi num.* 5. ait , quod ſi correus non ſit ſolvendo, poteſt creditor reintegrare petitionem ſuam; *& num.* 6. quatuor limitationes adducit: Gratian. *diſcept. tom.* 2. *c.* 359. *& tom.* 3. *c.* 566. *ex n.* 20. (*& tom* 5. *c* 966. *ex n.* 16. uſque adfine, † ubi an quietatio ſeu liberatio facta uni ex duobus reis, proſit alteri?) Suarez *in l. poſt rem judicatam , in declaratione l Regni , verſic. viſum, &c. x. en.* 1. ubi Valdeſius plures refert ad dictam quæſtionem prinipalem de creditore convenien-

te pro parte unum ex reis debendi;Felinus *de cenſibus,tom. 2. lib. 3. cap. 2. n. 2. & ſeqq.* Morla *in emporio,tit. 3. in præmiſſis, num.* 17. Azevedus *in dicta l.1 titul.16 lib 5.Recopil.num.* 8. Gomezium Bayo *in praxi, libr. 2. quæſt.* 142. Barboſa *in l. ſi conſtante, ff ſoluto matrimonio, ex num.* 108. Rodriguez *de redditibus,lib.2. quæſt. 5. num. fin.* & vide Noguerol.*allegatione 15. num.* 50. ubi quod † exceptio perſonalis † uni competens, alteri prodeſt,quando illi aliquod damnum ſequeretur, ſi alteri non prodeſſet; & Salgadum *in labyrintho, parte 3. cap.1.§.unico,num.45.*

An autem citatio facta uni ex correis; noceat alteri?vide Rodericum Suarez *titul. de los emplazamientos,§ ſed pone quæſtionem, num. 17. & 19.* Gregor. *in l.20. titul. 22. part. 3. gloſſa 5.* Sylva *reſponſo 1. per totum,* Noguerol. *allegatione 11. n.* 54. ubi de proteſtatione facta uni ex correis, Salgado *de protectione 4 parte, cap. 8. ex n.* 350. Guzman. *de evictionibus,quæſt.16 ex num.* 38.ubi probat cum multis,ſententiam latam contra unum ex pluribus reis poſſe mandari executioni pro rata contra omnes non citatos; Eſcobar *de ratiociniis, cap. 31. num.* 2. Barboſ. *in l. ſi conſtante, ff. ſoluto matrimonio, ex num.* 113. ſed vide Salgadum *in labyrintho, creditor. 1. parte, cap.17. n* 48. ubi quod ſententia contra unum correum non nocet alteri, ſed favorabilis prodeſt, & iterum *in 3.parte,cap.1 num.178. & ſeqq.* ubi quod in juribus individuis & inſeparabiliter connexis, res judicata quoad omnes operatur,allegans Covarruv.*in practicis, cap. 4.num.5.* Perez deLarrea *in compendio vitæ humanæ,cap. 7. num.* 51. Valençuelam *conſilio 90. num. 112. & conſilio 92. num. 61.& 66.& 68.*Eſcobar *de puritate ſanguinis, 1. p.q.17.§ 1.num.4.33.& ſeoq & n.* 54. Noguerol. *allegatione 15. ex num.* 45. & Scacciam *de re judicata,gloſ. 14.quæſt. 12. ex num.106.*

4 Ad num.3. ibi: *Et reſolutivè dicò, &c.*

Quod ſi unus ex pluribus reis debendi, ſolidum ſolvat ex cauſa onероſa, poſſit partes ſuas à correis repetere, præterquam ſi ſolvens totam utilitatem percepit; ſi vero ſint rei ex cauſa lucrativa quod tunc ſolvens nihil repetat, reſolvit Gomezius *in præſenti (& in tit. de legat. n.17.)* & ita docent & explicant Tuſchus *litera L.concl. 451.n.2.*Mantica *de Tacitis, conven. lib.15. tit.6. n.10.*Petrus Gregor *in ſyntagm. lib. 24. c. 8. n. 4.* Baëza *de dote, c. 12. n 5. & 6. & c. 35. ex n.12.* Gratian.*cap.701. in ſuis diſcep.* omnino videndus Barboſ. *in l.1 ff. ſoluto matrim. 4. parte, n.* 106. *ubi ex n.*102.agit an in duobus reis unus videatur pro alio fidejubere?(de quo etiam *in l. ſi cum dotem,§.tranſgrediamur,n.38.& 39.eod.titul.&* Tiraquel.*de retract. lignag. §. 31. gloſſa 1. num. 9.)* Surdus *deciſ.308. ex numer.7.* ubi de ceſſione in hoc caſu facienda, & de differentia inter reos,& fidejuſſores, Joannes Gratianus *in regula 431. num.2.* Molina *de juſtitia tom 2.diſput. 542. numer.* 11. Salgado *in labyrintho creditor. 1. parte, cap.18. ex num.* 33. ubi alios refert, *& num.* 38. probat quod verba. *Habuiſſe,vel Recepiſſe,* inſerta in ceſſione,vulgò, *Laſto*, non ſignificant tempus præteritum cum intervallo, & ſic non nocent ceſſioni, Noguerol. *allegatione 11. ex numer.* 48. ubi quod ſi unus ex pluribus reis ſolvat ad extinguendam propriam obligationem, vel cum proteſtatione obtinendi ceſſionem: tunc ceſſio fieri poteſt ex intervallo, & ſolvens fiſco ſine ea agit; *ibid. n.* 58. & Bolan. *in Curia Philip. 2. p. l. 2. cap.ceſſion,n.43.*ubi de expenſis in hoc caſu agit, & quod etiam abſque ceſſione poteſt unus ex duobus reis, qui ſolidum ſolvit,partes ſuas repetere à correis,prout ad eos pervenit utilitas[quod etiam proſequitur, Salgad. *ſuprà, parte 2.cap.7. n.59.*] actione negotiorum geſtorum, Carlevalius *de judiciis tomo 2.diſput.* 35. quod etiam proſequitur ipſe Bolanus *n.* 44. ubi alia Felicianus *de cenſibus, libr. 3. cap. 2. n. 11. & ſeq.* latè vide etiam *infrà,c.13. num.* 27.

Ibi: *Idem eſt per contrarium, &c.*

Prædictam reſolutionem procedere etiam in pluribus reis credendi, docent ſuprà citati, maximè Tuſch. *dicta concluſ.* 451. Gratianus etiam *dicta regul.431.ubi n.1.* agit, quid ſi reus requiſitus intra quatuor menſes non communicaret correis ſuas partes? & reſolvit quod ſi id non faceret requiſitus, toto debito privari deberet. Cevallos *quæſt. 148. per totum.* Surdus *deciſ. 219. n.* 38. ubi etiam an ſi unus ex reis credendi liberet debitorem per acceptilationem vel pactum de non petendo, vel recipiendo ſolutionem, hoc præjudicet ſocio?

5 Utrum autem reus poſſit petere à correo, ut eum liberet ab obligatione? vide Alvarum Valaſcum *conſult.* 36. qui affirmativè reſpondet, & vide etiam Cancerium *variarum 2.parte, cap. 5. num.83.*

6 Item an pactum unius ex reis noceat alteri?& an poſſit novare actionem, vel obligationem in præjudicium alterius,videndus eſt Barboſa *in l.1. §.quod ſi,n. 50. Digeſt.ſoluto matrimonio,* Valaſcus *conſult.463.*Mantica *de conventionibus,lib. 15. tit. 6. n.7.*Faber. *lib. 3. conjectur. c. 3.* Oſualdus ad Donel *lib.16.c. 20. litera Q.* & poſt eos D. Larrea *allegation fiſcali,34 num.14.*Cancerius *variar. 2.parte,cap 6.n.* 206. ubi ait confeſſionem extrajudicialem non nocere alteri correo, bene tamen judicialem,ex Bart. *in auth. hoc ita, Cod. de duobus reis,num.* 57.

7 Item an appellatio unius ex duobus reis proſit alteri?vide Gratian. *dicept. forenſ. tom. 1. c. 115. per totum,*ubi etiam de prorogatione inſtantiæ, & alia, Tuſchum *litera A.concluſ.* 362. Cancerium *variarum, lib. . cap. 17. ex numer.* 96. ubi quod licet appellans renuntiet,non nocet alteri, & alia plura; Caldas *in leg. ſi curatorem,§. vel adverſarii dolo,ex num.28. cum pluribus ſequentibus*, Auguſtinus Barboſa *in Collectan. cap. una ſententia 72.de appellation.* & D. Larrea *deciſ. Granatenſi 63. num. 16. & deciſ. 89. n.9.& 10. & ex n. 7.* poſt Scacciam *de appellation.quæſtion. . articul. 1. num.* 58. & Trentacinq. *variarum titul. de appellationibus,reſolut.* 7.

8 Item an lite pendente adverſus unum ex reis debendi liceat ad alium reverti? videndi ſunt Parladorus *lib.2.quotidianarum, cap. fin. 5 part. §.11. num.* 21. Tuſchus *litera R. concluſ. 107. ex numer.16.*Guzman. *de evictionibus, quæſtion. 32. num.49.*Carraſco *ad leges Recopilationis, cap.11. numer.286.* Felicianus *de cenſibus, libr. 3. cap. 2. numer.5.*Gomez Bayo *in ſuis quæſtionibus, lib. 2. q.141. per totam*, Cald. Pereira *de emptione, & venditione,cap.33. ex num.* 55. Noguerol. *allegatione 4 ex num. 26. & allegatione 7. num.* 48. & plurimos referens & latiſſimè explicans Salgado *in labyrintho creditorum,parte 1.cap.17. ex. n.* 10. ubi latè probat, quod etiam poſt ſententiam contra unum correum,vel fidejuſſorem, regredi contra alium; *& num.*34.addit quod etiam in concurſu creditorum poſt ſententiam gratuationis hoc ei licebit.

9 Item adde quod ſi creditor tradidit inſtrumentum debiti uni ex duobus reis,non ſolum videtur illi

illi remittere debitum, ſed etiam donare jus, & actionem contra correum; ita latiſſimè Caſtillo *lib.2.controverſiarum cap.23.*& noviſſimè Salgado *in labyrintho,parte 1.cap.29.num.12.*

10 Fidejuſſio ubi prohibetur, veluti pro dote quam recipit maritus etiam prohibetur obligatio correi, ita D. Larrea *ex aliis deciſ. Granat. 7. numer.24.& 25* quem omnino videas poſt Angulum *de meliorationibus,l.9. gloſſa* 3. & alios ab eis commemoratos.

11 De confuſione actionum,& extinctione obligationis, quoties creditor ſuccedit uni ex correis debendi ſeu promittendi, vide Doctores ad *l. Uranius,ff. de fidejuſſorib.*

CAPUT XIII.

De fidejuſſoribus.

SUMMARIA.

1 *Fidejuſſor, an poſſit in qualibet obligatione intercedere.*
2 *An fidejuſſor poſſit obligari in duriorem cauſam, quam principalis.*
3 *Si quis promiſit ſolvere creditori quanto minus à debitore conſequi poſſit, an ſit fidejuſſor.*
4 *An ille, qui promiſit mihi ſolvere, quod alter mihi debet, ſit fidejuſſor.*
5 *Si quis miſit alteri literas credentiæ in favorem alicujus, an ille qui miſit literas remaneant obligatus pro eo, quod recipit ille, in cujus favorem ſunt miſſæ literæ.*
6 *Ille qui tenetur præſtare fidejuſſorem, an teneatur dare in loco, & domicilio creditoris.*
7 *Si fidejuſſor datus efficiatur non ſolvendo, an debitor cogatur alium dare.*
8 *Si quis tenetur dare fidejuſſorem, an poſſit dare mulierem, vel minorem, & quomodo mulier poſſit obligari.*
9 *Si creditor dilatavit ſolutionem, & ex culpa, & negligentia ſua debitor effectus eſt non ſolvendo, an liberetur fidejuſſor.*
10 *An, & quomodo fidejuſſor poſſit petere,& principalem debitorem convenire,ut eum liberet à fidejuſſione.*
11 *An poſſit quis fidejubere pro debitore ignorante.*
12 *Si fidejuſſor antequam pro alio intercedat proteſtetur ſe nolle teneri ex futura obligatione, quam pro alio fecerit, an remaneat obligatus.*
13 *An confeſſio creditoris contenta in inſtrumento publico, vel privato, qua continetur ſe recepiſſe ſolutionem à fidejuſſore, valeat.*
14 *Fidejuſſor,an & quomodo poſſit conveniri ante quam debitor principalis.*
15 *Fidejuſſores ſi ſunt plures an unuſquiſque teneatur in ſolidum.*
16 *Quæ perſonæ prohibeantur fidejubere.*
17 *An poſſit mulier renunciare beneficio Velleiano.*
18 *Clericus an prohibeatur fidejubere.*
19 *An prohibeatur fidejubere minor 25. annis*
20 *Quibus modis liberetur fidejuſſor à fidejuſſione.*
21 *An prorogatio termini liberet fidejuſſorem.*

1 QUoniam ſupra viſum eſt de his qui obligantur principalite per ſe nunc oportet videre de his qui obliganrur pro aliis,ut ſunt fidejuſſores: pro cujus perfecta declaratione dico; quod fidejuſſor eſt ille, qui intercedit pro alio, & ſolemniter promiſit ſolvere rem, vel pecuniam ab alio debitam eodem tempore, & loco: Et licèt in contractu, vel obligatione ſemper requiratur cauſa, tamen iſta eſt ſufficiens cauſa à jure approbata,cùm ſit obligatio acceſſoria, quæ interponitur ſuper principali obligatione ad majorem efficaciam, & exactionem ejus, & poteſt accedere utrique obligationi,civili & naturali ſimul, vel naturali tantùm, vel civili tantùm,textus eſt *in l. 1. & per totum, ff. de fidejuſſor.* tex. *in l.1 & per totum C. eod. tit.* textus magis in ſpecie *in l. ſine uſſor obligari, §. fidejuſſ.accipi, ff. de fidejuſſ.* tex. *in l.ſi pupillus, ff. de arbitris;* textus *in l. ſi pupillus, inf. iſto tit.* tex. *in §. in omnibus, Inſtitut. de fide uſſ.* & idem diſponit *lex 1.& lex.5 tit.12. 5 part.* imò etiam poteſt fidejuſſor obligari pro eo,qui tantùm tenetur officio judicis, licèt nullam præſupponit obligationem in principali, tex.eſt ſingularis & unicus *in l. cum quis; §.ſi quis pro reo, ff. de ſolut.* ubi habetur, quod ſi debitor eſt ipſo jure liberatus, & contra eum poteſt in integrum reſtitutio poſtulari, poteſt pro eo intercedere fidejuſſor, & ad hoc illum tex.ſummè notat & commendat Bartol Paul. & communiter Doct. ibi, & reputat ſingularem, & unicum Alber Bald & alii Doct poſt Cynum, & illum etiam reputat ſingularem & unicum Paul & Moderni *in l mora rei, infrà iſto tit.* item etiam poteſt fidejuſſor obligari debitore mortuo, & jacente hæreditate, quia in ea eſt principalis obligatio paſſivam tanquam in perſona ficta, quæ repræſentat fundum, text eſt *in l. mortuo reo,ff. de fide uſſ.* & ibi Gloſſ. ordinaria Bart. & communiter Doctores, item poteſt fidejuſſor intercedere,tam pro obligatione, quæ deſcendit ex contractu, velquaſi, quàm etiam ex delicto, vel quaſi,text.eſt *in l.græce, §. ſed & ſi ff de fide uſſ.* & ibi communiter DD.Imò quod magis eſt,ſententia lata contra principalem debitorem poteſt mandari executioni contra fidejuſſorem ſine novo proceſſu,vel judicio, ita proba tex. *in l ſi quis pro eo,§ ſi nummo,ff.de fide uſſ.*ibi notat & commendat Alber. & alii Doct. Ex, quibus deducitur, & infertur, quod ubi non datur aliqua obligatio principalis, non poteſt dari obligatio fidejuſſoris,& in expreſſo probat tex *in leg. ſi ſub impoſſibili, de fide uſſ.* tex. *in l. cum lex, eodem titul.* tex.*in l. 1. §.ſi quis ita, ſuprà iſto titul.* tex. *in l. ſi cui bonis inf. eod.* tex cum materia *in l. non dubium, C. de legib.*

Item adde, & extende ſupradicta,ut fidejuſſor poſſit obligari nedum pro certo,& determinato contractu & obligatione principali, verùm etiam genericè, & in perpetuum pro omni contractu, & obligatione alicujus debitoris in perpetuum, tex. eſt ſingularis & unicus *in l. ſi ita ſtipulatus, ff.de fide uſſ.* & ad hoc notat & commendat Bartol. Alber. Paul. communiter Doct. & ibi Bal.

2 Unum tamen eſt, quod fidejuſſor non poteſt obligari in duriorem cauſam quàm principalis, tex. *in l. græce,§. illud, ff. de fide uſſ.* & ibi communiter Doct. tex. *in §. fidejuſſores,Inſtit.eod. tit.* & ibi etiam Doct. adeò quod tali caſu non tenetur in eo, in quo tenebatur principalis, quia vitiatur & annullatur in totum fidejuſſio, & ita probant prædicta jura, & ibi tenet Gloſſ. ordinaria